Considerationes MONETALES

Circa

Commissionem Monetariam Warsaviæ celebrandam probe expendendæ.

ANNO M. DC. LIX.

3

Considerationes Monetales,

Circa Commisſionem Monetariam Warſaviæ celebrandam probe expendendæ.

Anno M. DC. LIX.

EXtat inter nuperrimorum Comitiorum Regni Conſtitutiones typis impresſas una de re monetaria, ipſum principale negotium ſanè differens ad Commisſionem deſuper inſtituendam, ſed pariter præſupponens tanquam indubitatam futuræ Commisſionis determinationem, lucrum centum & quinquaginta millium florenorum Polonic: in Theſaurum Regni ſingulis annis inferendum, & amplius, ſi fieri posſit. Quæ determinatio anceps videtur eſſe, nec ullo certo fundamento niti. Definiri enim nequit, quanta ſumma novæ monetæ quotannis in Officinis monetariis debeat fabricari, cum incertum ſit, quantum argenti facti infective comportari præfinito annuo tempore; aut conquiri pro cudenda moneta posſit, & multa ſoleant intervenire, quæ monetandi rationem vel urgent, & accelerant, vel etiam inhibent, & remorantur. Unde colligitur, nullam certam monetandi ordinationem prædictæ determinationi accommodam excogitari aut conſtitui poſſe; daturq; locus conjecturæ, id fortasſis intendi, ut Ordinatio quædam monetalis anno proxime præterito Arendatori certo conceſſa in effectum deducatur, cujus illa eſt determinatio, ut quatuor floreni cum dimidio pro lucro Theſauri in ſingulas Marcas argenti puri, ratione verò ſumptuum monetalium, & lucri pro Arendatore, unus cum dimidio, duo cum dimidio, tres cum dimidio, etiam quatuor cũ dimidio, floreni pro diverſitate ſortium, majorũ vel minorũ, computentur. Quodſi verò iſtius ordinationis determinatio reſtringatur ad determinationem Conſtit: anni 1654. quæ tantùm 4. florenos in ſingulas marcas Theſauro in lucrum attribuit, & deinde computentur in ſingulas marcas duo floreni ratione impēſarum monetalium, non attenta ſortium vel ſperi

cierum diversitate, & Arendatori competentis lucri, inde sequentes exorietur considerationes.

Ducta ratione, ut Marca argenti puri 24. florenis æstimetur, iisq; addantur floreni quatuor lucri pro Rep. percipiendi, deniq; floreni duo, tam ratione damni, quod fiet in conflatione metallorum, quam mercedis operarum monetalium, & lucri, quod conductor vel Arendator justè prætendere videri possit, prout species vel majores vel minores cudentur, apparebit, Marcam argenti puri ad æstimationem florenorum triginta pertingere. Unde conficitur lucrum monetale floren. 25. in Centum, ultra valorem Thaleri Imperialis, unusquisq; autem in singulis Centum florenis, quos nunc habet, damnum faciet florenorum 20.

Omittamus, quod fortasse nec in eo res consistet, si enim arenda seu conductionis merces nimis intendatur, ut solet fieri ob æmulationem licitantium, recurretur haud dubiè ad cõsuetum, quod Magistri monetales indigitant,

Reme-

Remedium, ex quo anterioribus temporibus quidã privati ingens emolumentũ perceperũt.

Et quandoquidem nondum apparet, unde existere queat tanta argenti crudi copia monetæ novæ impendenda, neq; fodinæ Regni valdè multum suppeditent, necessariò devenietur ad conflationem Thalerorum, orthonum, & minutiorum fortassis specierum, nunc usitatarum, ut saltem quacunq; ratione lucrum 25 florenorum ex Centum conficiatur.

Inevitabiliter autem inde eveniet, ut quæ nunc est bonæ notæ moneta, vel intercipiatur paulatim, vel si qua talis superfutura est, illius valor eousq; augeatur, donec novæ monetæ conformis fiat. Satis enim abunde docuit experientia, quoties aliquid decessit interiori bonitati monetæ minutioris, Thaleri valorem necessario fuisse adauctum, donec verum precium minutioris monetæ assequeretur. Ante complures annos, cum Thalerus pro duobus florenis cum dimidio expendebatur, in magna copia cu-

deban-

debantur petiæ illæ, quarum valor eſt grosſus cum dimidio, vulgò Pultoraki dictæ; confeſtim Thalerus ad valorem trium florenorũ adſcendit & in eo valore conſtitit, quod juſta ferè proportio veri precij inter Thalerum & petias illas deprehenſa & ab ulteriori percusſione monetæ fuit cesſatum.

Quodſi tunc Resp. porrò perrexiſſet & cudere monetam, & intrinſecam bonitatem ſortium minutarum ad 15. grosſ. in ſingulos Thaleros diminuere, necesſe fuisſet, valorem Thalerorum proportione ducta ſemper excreſcere, prout quondam in Germania, in qua per has rationes ac modos Thalerum tandem quibusdam in locis pro 24 floren: expenſum fuisſe meminimus.

Ex ſupra adductis quilibet prudens facilè animadvertet, quia quisq; in ſingulis centum florenis, quos in bonis habet, 20 floren: damnum faciet, quod quicunq; ſortem ſuâm capitalem ob exiguum aliquod lucrum repetitis vicibus expendet, loco emolumenti, quod ſperabat, lapſu ſquinquennii,

quennij, inſenſibiliter omnibus ſuis copijs privabitur. Neq; poterit aliter evenire, quando nova moneta ſupra dicto modo in ſua bonitate intrinſeca divulgabitur, quin Marca argenti puri 28. imò 30 floren. veneat, Thalerus ad florenos 3. cum 20. grosſis & ultra, moderni orthones ad groſſos 22: 23. Leonini ad floren 3. & amplius, cæteræ porrò ſpecies, juxta proportionem, valorem ſuum extendant. Si tunc tali precio argenti & priſtinarũ ſpecierum conſtituto ulterius in cudenda moneta pergatur; propoſito illo 25 ultra centum lucrandi ſemper continuato, jactura exiſtet adhuc magis exitioſa, cujus exemplum planè deplorandum olim Germania præbuit.

Univerſale hoc damnum, quod inde conſequetur, plus calamitatis haud dubiè inferet, quam ipſum bellum, Quod fiet manifeſtius, ſi circa hanc materiam aliæ porrò circumſtantiæ probè perpendantur, quæ tam lucrum ceſſans, quàm damnum emergens particularius & magis in ſpecie determinant.

Re monetali juxta præſuppoſitam ordinationem conſtituta, tam ipſa Reſpub: quàm in ea ſinguli, â ſupremo Reipublicæ Capite ad infimum ſubditum computando, ex reditibus, proventibus ac cenſibus ſuis, quintam pártem, toties quoties eos percipient, deperiiſſe ſentient. Sac. Regiæ. Mtis. Dni. Nri. Clementiſs. arendæ aliiq; proventus tam notabili diminutioni erunt obnoxij, tum verò Procerum quoq; reditus, & Nobilium, cæterorumq; omnium, quotquot in tam vaſto Reipublicæ complexu ejus aliquam partem faciunt. Quoniam enim omnes publici privatiq; proventus ac cenſus ad rationem florenorum Polonicorum, quorum ſingulorum valor eſt 30. groſſ: definiti ac determinati ſunt, bonitate interiori monetæ modo ſupra deducto imminuta, quicunq; hactenus mille florenos percepit, verè & realiter in juſta argenti æſtimatione nonniſi octingentos percipiet, inpoſterum etiam longè minus, juxta præmiſſa.

Qui

Quilibet Nobilis, civis etc: qui bonis, prædijs, fundis terreſtribus vel civilibus pecunias ſuas inſcribi curarunt, vel manualibus obligationibus ſeu chirographis contenti mutuò dederunt, quia inſcriptiones & obligationes ad florenos Polonicos vel Marcas Polonicas aut Prutenicas ut plurimum reſtringuntur, loco 5. 6. 7. aut 8. florenorum intereſſe, quod ex ſingulis centum ſperabant, florenos viginti ex Centenis ipſius ſortis principalis amittent, nempe qui mille mutuò dederat, verè non recipiet niſi octingentos. Iidem illi quando credent ſibi pro ſingulis frumenti laſtis perſolvi florenos 125. in ipſa rei veritate non percipient niſi centum.

E contra expenſæ omnes quarta parte auctiores amplioresq; fient, quàm nunc ſunt.

Quod ipſa quoq; Reſp. notabiliter ſentiet, emendo pulverem tormentarium, bombardas, tormenta, arma, cuprum &c, quæ quarta parte carius vendentur quàm antea.

Aliorum generum mercium, quibus communicanti

mu-

munis vita indiget, ut pannorum, ſerici, aromatum &c. eadem futura eſt ratio.

Quas cum exteri mercatores plerumq; advehunt, æſtimationem ac pretium earum in aureis Ungaricalibus vel Thaleris, non in florenis Polonicalibus, determinare ac defigere, uti in certo ac ferè immoto quodam monetali pede, conſueverunt.

Cambiorum quoq; ſumptus, occaſione illius novæ monetæ, valdè augebuntur, & quia pro plerisq; exoticis mercibus, non in parata pecunia, ſed Cambijs mediantibus, ſolutio fieri ſolet, mercatores id onus, quod ex Cambiorum aggravatione ſentient, ipſis rurſus mercibus imponent. Atque inde intendentur rerum caritates. Ponatur modò Cambium ex Hollandia eſſe groſſor: 220. poſt novam monetam introductam ad groſſos 270. &c. ultra excreſcet. Unde fortasſis Coronatus Gallicus valorem 5. florenorum asſequetur.

Hanc jacturam præcipuè ſentient, qui per Belgium, Galliam, Italiam & Hiſpaniam peregrinabuntur, ſumptibus Cambiorum cum illis ſumptibus, quos apud exteros alioquin expendere neceſſe habebunt, penè exæquandis.

Salaria eorum, qui in famulatu ſunt, augeri quoq; neceſſe erit, moneta ad quintam partem depreciata. Nec miles ſtipendio uſitato erit contentus, integro enim floreno novæ monetæ non plus efficiet, quam nunc groſſis 24.

Si probè iſta omnia trutinantes ob oculos nobis ponamus tot centena hominum millia in Regno & annexis Provinciis, qui de exiguo facultatum ſuarum reſiduo, quod ipſis bellum reliquit, periclitantur, & inter quos innumeræ erunt viduæ & orphani; Tantum deinde decrementum redituum publicorum, incrementum verò expenſarum ſumptuumq;: facilè pateſcet, quam adverſus tot ac talia damna exiguum planè & leve momentum futurum ſit in illo lucro quatuor florenorum in ſingulas argenti puri marcas. Si rectè calculum ponas, lucri

lucri ad damnum ferè talis deprehendetur proportio, qualis eſt unius ad decem.

Probè autem & ante omnia conſiderandum venit, quod reperientur in exteris regionibus homines callidi, ſagaces, & ad captanda lucra prompti, qui potiſſimam emolumẽtorum partem ex illa monetæ deterioratione ſperabunt, & haud dubiè aſſequentur. Riga in vicinia Lithvaniæ ſita eſt, atq; inde cum Lithvanis pacatis temporibus frequentantur commercia. Compertum eſt annis ſuperioribus, monetam Suecicam ibi cuſam, Lithvaniam & vicinas Regni partes inundaſſe, non ſine memorabili damno. Quid inpoſterum fiet, quando Rigæ quoq; ad illam ligam, quam præſuppoſita determinatio præmonſtrat, moneta Suecica cudetur? Quibus mediis ejus diſtributioni obviabitur? In aliis regionibus non ita vicinis plurimi hanc occaſionem arripient, ingentem quæſtum faciendi. Quantum ſuperioribus annis lucrati ſunt Exotici quidam invehendo Leoninos, & Florenales petias tanta copia? Quam cladem ac calamitatem publicè privatimq; adhuc ſentimus.

Id nunc magis metuendum eſt, ne alibi moneta nova Polonica cudatur ad eandem formam, ligamq; ſimilem, cujus invectionem terra mariq;, ſi per pacem commerciis ſuus vigor priſtinus aliquando redeat, univerſaliter atq; accuratè prohibere impoſſibile erit: nec commoda excogitari poterit ratio, Polonicam monetam ab ea, quæ uniformiter alibi locorum cuſa eſt, ſigno aliquo peculiari diſtinguendi. Non illum vanum eſſe metum, priorum temporum documenta ſatis demonſtrant.

Cum pridem in Hiſpania, poſtea in Gallia cuprei nummi invaleſcerent, notum eſt, alibi locorum immenſam quantitatem talis monetæ fabricatam, & quamplurimis laſtis cum incredibili quæſtu in illa Regna fuiſſe invectam. Cum ante hos quadraginta annos circiter, ſub regimine D. Sigism, III. cuderentur ſeſquigroſſi (Pul-

 to-

toraki) non adeò pravi, quod lucrum in Centum florenos non foret nisi florenorum octo; reperti tamen sunt inter gentes exoticas, qui eos ad eandem ligam & speciem effigiatos copiosè Regno inveherent.

Adhuc supersunt fide digni, qui tempore suarum peregrinationum, in celebri quadam Urbe, familiariter deducente amico, in ædium quarundam recessu, aliquot tonnas hujusmodi sesquigrossis Polonicis plenas suis oculis viderunt. Cui rei aut usui, nisi ut per Poloniam distribuerentur?

Quid nunc sperandum est, quando ex 100 florenis non 8. sed 25. florenorum lucrum & amplius sese ostendet? Quod si permutatio monetæ cum Regni mercibus quater in anno ab extraneis instituatur, quod fortassis tempore pacis non erit difficile, duplicatam sentient sortem suam isti lucripetæ, exiguo tempore. Atqui ijdem illi incommoda lucri cessantis & damni emergentis supra deducta non sentient, adeò

deò, si quid emolumenti expectari poterit ex nova moneta, ejus potissima pars in exoticorum sinum delabetur: damna verò & jacturæ in solam Rempub. & ejus cives, cujuscunq; ordinis, reclinabuntur.

Addendum his, quod propter commercantes Civitates, & inprimis propter Gedanum, etiamsi absq; illis foret, quæ supra deducta sunt, istiusmodi mutatio ac deterioratio monetæ introduci ac recipi non poterit, nisi eam Civitatem bene de Regibus suis & Repub: meritam, funditus pessum ire velimus, quod evenire non potest sine Terrarum Prussiæ, imò inclytæ universæ Reipublicæ summa pernicie. Porrò satis constat, Prutenos Regibus Poloniæ immediatè subjectos, pristinis temporibus, propria ac vernacula moneta fuisse usos, omni alia, inprimis damnifica, exclusa.

Tempore Crucigerorum, & deinceps post Incorporationem, plurimi in Prussia conventus celebrati sunt super eo, an intrinseca monetæ bonitas

tas ad unum vel alterum denarium in Marca pura esset diminuenda, & non nisi ægrè & post varias ac graves consultationes, in tam leve præjudicium Status & Ordines consenserunt. De quo ex vetustis memorijs constat,

Postremo meminisse oportet, in computatione lucri cessantis, & damni emergentis, aliorumq; incommodorum supra deductorum, præsupponi vigintiquinque florenos lucri monetalis in Centum, ultra verum precium Thaleri, quam determinationem in solis Orthonibus Ordinatio Arendatori anno proximè præterito concessa constituit: at vero in sortibus minutioribus eadem Ordinatio maius adhuc lucrum determinat. Nempe in speciebus sex grossorum, florenos viginti novem cum quinque grossis in Centum: in grossis triplicibus, florenos triginta tres cum decem grossis in centum: In sesquigrossis vero, & grossis simplicibus, juxta eandem ordinationem, lucrum monetale ultra verum Thaleri valorem ascendit ad florenos triginta septem cum dimidio in Centum. Unde calculo instituto cuivis facile erit juxta præmissa supputare lucrum cessans & damnum emergens, quæ, ut & alia incommoda, longe graviora existēt, ex sortibus istis minutioribus, quàm quæ in his considerationibus lucro tantum 25. florenorum in Centum præsupposito demonstrata sunt.

❧)o(☙

Hist. Polon.
a, general.